

OPTIMIS, LECTIS,

SIMIS, HONORATISSIMIS:

CLARISS: VIRO DOMINO IOANNI

FERSCHIO MEDICO BREGAE,

SPONS O:

ET PVDICISSIMAE

VIRGINI BARBARÆ, FILIÆ

CLARISSIMI ET DOCTISSIMI VIRI

DOMINI IOHANNIS HERMANNI

Medici Wratislauensis,

SPONSÆ, &c.



VRATISLAVIAE

IN OFFICINA TYPOGRAPHICA GEORGII  
BAYMANNI.

12

---

clb. lb. xcllll.



OPTIMIS LECTIS

STIMULUS NOBILITATIS  
CLASSE VIRO DOMINO JOHANNI  
TESTIGO MEDIO

250 N 2 0

ST. P. V. D. I. C. I. S. S. I. M. A. E.

AL. D. N. I. A. R. A. K. E. F. A. L. I. E.

ST. P. V. D. I. C. I. S. S. I. M. A. E.

461791

I



ST. P. V. D. I. C. I. S. S. I. M. A. E.

AL. D. N. I. A. R. A. K. E. F. A. L. I. E.

AL. D. N. I. A. R. A. K. E. F. A. L. I. E.

ST. P. V. D. I. C. I. S. S. I. M. A. E.





ERSIVS ambiguum duplici cognomine nomen,

Quod varijs ludos fecit imaginibus :

Iam discrimen habet. Nomen versatile & anceps

Haecenus, incertâ cui nota nulla notâ :

Alter uti Proteus quidam, Vertunnus & alter,

Et nova Plautinis fabula nata iocis :

Sofia Mercuriusq; idem, geminusq; Menæchmus :

Et per cuncta pari par sociale modo.

Error in hoc mirus longum mortalia ludit

Pectora, fallaci se usq; rotans specie.

Nec raro ipsa etiam incertavit numina divum,

Suspensis frustra sapè tenens animis.

Divum numina ludit, & horum numina divum,

Sub quibus orta eadem FERSIA DVPLICITAS:

Quiq; sibi auctores ipsi geminantis alumni,

Et tam consimilis nomine req; iugi.

Namq; adeò Phoebo & Musis à tempore longo hæc

Cura, duos uno nomine Fersiadas,

Æquales patriâ unâ, unâq; ætate decoros,

Consimiles vitâ, moribus & studijs,

Omnibus ut facerent patria usq; in rebus utrinq;

Par inter sese ritè parare novum.

Ergo illos primis congermanescere ab annis

Planè in germanum, quâ pote cunq; modum

Germanusq; & germanæ fecerè sorores:

Et dulcis labor hic, dulce erat hoc studium,

Iamq; & idem felix: crescunt feliciter ambo,

Alter virtutes æmulus alterius.

Mox ubi profectum satis, & quò pergere possent

Non esset similes amplius in facies :

Præmia uterq; eadem tulerunt, insignibus iisdem

Compti ambo nitidum lauro oleaq; caput :



Palladiâ Sophies oleâ, & Phoebeïde lauro,

Virginea lauro, virgineaq; olea:

Inde ergo varius fudit se protinus error:

Idemq; aspectu visus uterq; diu,

Atq; habitus malè uterq; idem, malè uterq; fefellit:

Dignosci alternis nec potuère notis.

Porrò igitur lites hinc sæpè & iurgia nata,

Sæpius hinc risus molliculiq; ioci.

Et tandem quærenda fuit discrimine certò

Iam nimis ancipiti certa medela rei.

Sed non Latoides potuit reperire medelam,

Nec ter tergemina iam potuère Deæ:

Exhaustis in eos cunctis insignibus olim,

Vt iam tantarum nil superesset opum.

Sola Venus, Venus invenit: venitq; tulitq;,

Ostendens myrti florea ferta suæ.

Scilicet hac oleam alterius laurumq; gemellam

Distinctura, bonis si placuisset heris.

O bona tu, quid nî placeat, Venus? inquit Apollo

Continuò: euge bono commoda consilio!

Adde novum alterius capiti discrimen, & ipsum

Vel tecum in penitam tolle age Barbariem.

Sic ait, & tacito monuit simul omine divam:

Quæ nihil ambiguis inter utrumq; moris

Hæret, utrum vel uter malit. Cupere ambo videntur:

Illam tamen, sibi quem maluit ipsa, rapit.

Alter apud steriles divos mordere iubetur

Porrò etiam, ut dudum, laurum oleamq; suam.

Alter honoratus foecundæ germine myrti

Ducitur ad læta gaudia Barbariæ.

Illam ubi Barbaries autem? quæ incognita nobis

Hæc regio? regio hæc si tamen, aut locus est.

O mirum

O mirum Phoebi augurium ! non barbara tellus  
 Hæc erat : ast expers B A R B A R A barbariæ.  
 B A R B A R A delictum coeli melioris : & ô tu es  
 Virgo sonans solo nomine barbariem.  
 Tu tu, quam præfers titulo fallente, refutans  
 Ore, animo, & toto corpore barbariem.  
 Tu tu, nata patris, cuius de moribus omnis  
 Exfulat & culto pectore barbaries.  
 Nata patris, cuius Virtus, Doctrina modesta,  
 Et Pietas à se barbara cuncta fugat.  
 Matris nata piæ, pia nata, exemplar honesti,  
 Et castæ effigies vera pudicitæ.  
 Nata, in qua vultus spirant utriusq; parentis,  
 Sed magis & cultus in qua utriusq; micant.  
 O satis alterius dives virtutibus ! at nunc  
 Commisissis utriusq; ô opulenta nimis.  
 O tu Barbara tu non barbara : Barbara tu tu  
 Illa H E R M A N N I A S es, Fersia Barbaries.  
 Tu tu illa, omine quam tacito sic augur Apollo  
 Devovit certum in Fersiadis thalamum.  
 Tu tu illa, hærentem cuius capiti ecce corollam  
 Murteolam, gratum virginitatis onus,  
 Fersiadum unius iam nunc in tempora transfert,  
 Distinguens geminos Cypria Fersiadas.  
 Tu tu illa, ambigui tu nominis illa sequestra,  
 Arbitra tu veri, tu fidei illa nota.  
 Tu medium pacis pignus, tu nobile signum  
 Diversos dirimens unica Fersiadas.  
 Fersiadî indubioq; tuo constanter adhærens,  
 Alterius nudum destituis titulum.  
 Et par sic quondam compar, nunc deniq; dispar  
 Sola facis, socium dissociasq; iugum,

Alterius socia & compar! cui compare vita  
 Te mifces, socio confociasq; iugo.  
 Felix hoc tibi fit, fit & illi, ô Barbara, felix:  
 Mutuaq; auspicio neçtite vincla bono.  
 Sit tuus æternùm, qui nunc fit, Ferfius: & tu  
 Sis Ferfius, cuius te iuvat efle, tui.  
 Efte ambo veftri: veftroq; è fangvine vobis  
 Afimilem latè fundite Barbariem.

V A L. A C I D A L I V S  
 Phil. & Med. D.

## A L I V D.

**E** Rgo, etiam huc falvi deuenimus? Atq; ea venit  
 Summa mihi, fuma lætitiæq; Dies?  
 Venit io mea fuma dies: fummamq; meorum  
 Votorum, venit læta replere mihi.  
 Venit fuma dies: atq; illatabile tempus:  
 Seruitij venit perpetui Hora mea.  
 Venit, proh, mea fuma dies: Venerisq; caput mi  
 Pertrahit aratas, liberum hoc, in pedicas.  
 Et, mihi venit Hymen: ipfa & Iuga Cinxia venit,  
 Grandis cum cefti, Diua, voluminibus:  
 Irarumq; fuarum omnes in me iacit orbes:  
 Vindicta exfinuans vim femel illa fua.  
 Ipfe & ibi Diuus alter puer: altera & ecce,  
 Ipsum ignem irafçens, effera venit Hera:  
 Ipfe etiam mihi venit Amor, & Mater Amoris:  
 Venère infoliti defubitiq; Dij.  
 Et reliquum mihi nunc, quàm multum eßt, omne Deorum:  
 Obliti cœlos deferuere fuos:  
 Retirent ut vincla mihi: folidumq; catenarum  
 Induerent Veneris, mi caput, in chalybem:



*In chalybem graviolem : aliam Venerisq; catenam :*  
*Quam qua olim sapiens Mulciber ille Deus,*  
*Illam ipsam induerat Venerem, propriamq; maritam :*  
*Coniugiumq; suum cum suo adulterio.*  
*Hæc tunc ille Deus chalybis multitia, & ira*  
*Molliciem : ipse suam iecerat in Venerem.*  
*Nunc omnes mihi Divi : atq; illa mea omnia fata :*  
*Illaq; Parcarum Triga sororia anus :*  
*Maiores Divi : puerorumq; ira : potensq;*  
*Vis Matrum ipsarum mascula, bis gemina :*  
*Ipsa Iovis coniux, & coniugij arbitra cuncti :*  
*Coniugijq; omnis conciliator Hymen :*  
*Ipsa Iovis gnata, & cunctorum Mater Amorum :*  
*Ipse Neposq; Iovis, Cypride natus, Amor :*  
*Hæc mihi Divorum polleusq; potensq; Tetraætyx :*  
*Hæc Quadriga, omnem perdecumans numerum :*  
*Hæc cælo mihi venit : & ad vadimonia præ est :*  
*Et summam hanc dicunt, Astra mihi ipsa, diem :*  
*Inq; forum Cytheræa suum trahit : & trahit omni*  
*Igni & Iynge suo : & lucet Amor faculam :*  
*Matrimusq; puer, tædæ in me concutit iras :*  
*Meg; reum peragit, igne loquente, suum :*  
*Plumbat amq; mei frontem, marmorq; pudoris :*  
*Plumbo ille, & iaculi colliquat igne sui :*  
*Meg; suam Culpam, trepidantem, & cuncta fatentem :*  
*Osq; pudore tacens, erubidasq; genas :*  
*Savior iste meus, putusq; disertior Aëtor :*  
*Cæco omnis radij conficit igniculo.*  
*Atq; suum Sontem, in nexum petit : atq; catenat :*  
*Iunonisq; reum sub iuga Cinxia agit.*  
*Sic herulus meus iste incanduit : inq; suum ignem,*  
*In flammæq; iram & vim mihi, totus igit.*  
*Sic mihi servitium gravius, Dominamq; paravit :*  
*Hancce reposconem sedulam & asperam Heram.*

*Mancupia*

• Mancupio alterius, Vernam sic tradidit irā  
Hic meus : addixit meq; suum precio :  
Mancupio me addixit Hera, nexuq; tenaci,  
Regina atq; Iuga, & Cinxia & Vnxia Hera.  
Nunc ego servitij descendo in secla perennis :  
Nunc eo : Libertas tu mea avita vale :  
Tuq; simul flos ille mea, speciesq; Iuventa :  
Vana pudicitia gratiaq; omnis, abi.  
Ite simul Musæ : si non prodestis Amanti.  
Non vos, præter, onus, propter Amoris, amo :  
BARBARIEM mihi vos tota volo pellere mente :  
Et delere omnes pectoribus Veneres :  
Ociaq; in vestrum restinguere, Amoris, amorem :  
Et plumbum & pueri tela mihi exigere :  
Et floremq; mihi istius aternare Iuventa :  
Et grata intacta ferta pudicitia.  
Ite procul iam Musæ : & vestrum arcete Pudorem :  
Si servare fuit tam mala cura, meum :  
Si mihi totam aciem & castra cessistis Amori :  
Ite sub imperium, sub titulumq;, DEI,  
Me, quia sic placitum est Vobis semel omnibus : Ite,  
Ite ipsa, imperio, sub titulumq; Dea  
At mea me placido videat bona Barbara vultu :  
Atq; suam mi afflet, tota homo, barbariem :  
Iamq; amo barbariem hanc : totum & contraria, Musæ,  
Et castra, & vestris, nomina nominibus.  
Atq; hanc barbariem mihi Dii defendite : & hanc vos  
Aeternum in foculo ardere iubete meo.  
Non laudum illa morer iam pristina : Tu mea, dum sim  
Barbara sola, tuus : Barbarus ipse vocer.  
Te spectem : suprema mihi cum venerit hora :  
Ipsam in te mea se destituatq; Anima.  
Sed quid iamq; mea hic Anima : ipso in cardine rerum :  
Destituit ? quid me Vita salusq; mea ?

Et tu,



Et tu, vita salusq; mea, ô mea Barbara, quid me,  
 Nec bene visa semel, me mihi destituis?  
 Et nostro amplexu: atq; oculis te subtrahis ipsis:  
 Atq; oculo, & tota te mihi Mente negas.  
 O non Barbara tutu unquam mea: non mea Vita:  
 Non dicta, & Sperata, & neg; visa mea.  
 Me sed imaginibus ludis tamen, Aurea Imago:  
 Meg; adamasse negans: deniq; FERSIVM amas.  
 FERSIVM amas tamen: & toto mihi nomine & arte,  
 Germanum geminum tu mihi, FERSIVM amas.  
 FERSIVM amas Ianum: patriaq; & nomine eundem,  
 Et toto mecum congenerem studio:  
 FERSIVM amas, mecum Medicina ingloria amantem:  
 Quem gens, arsq; mihi & Nomen idem pariat.  
 FERSIVM amas festiva meum: mea qua esse recusas:  
 Et modò non me tu bellula Fersum amas.  
 Iamq; & amato diu: & luisse in Imaginis istum  
 Errorem, sat me Fersum habeto tuum.  
 Atq; ita FERSIVM amato tuum, & collude iocanti:  
 Ut ne me ludas, non tuum, imaginibus.  
 Et sic destituas age me mihi: in omnia reddas  
 Me mihi ut ad plenum, pristina iura mea:  
 Et me restituas Musis, doctisq; clientem,  
 Integrum vita virgine, Virginibus.  
 Iam nec summa dies: atq; illatabile tempus,  
 Servitijq; ergo venerit hora mihi:  
 Nec mihi latitia & votorum summa meorum  
 Venerit: & non sit hac mea summa Dies.  
 Nec Venus, & Iuno mihi Cinxia & Vuxia cœlis:  
 Nec iam venerit huc ille utriusq; Puer.  
 FERSIO at appulerint tamen huc melioribus Astris:  
 Maturentq; huius munia servitij:  
 Et, citius Sponso, magna illa volumina cesti,  
 Et totum pedicarum impediunt chalybem:

*Mancipioq̃, illum dedant in Vincula Amoris:*

*Inq̃, metallum opus, atq̃, intima BARBARIAE.*

*A me, tantum ea nunc mihi deprecor aurea Vincla:*

*FERSIO uti faveo, &, FERSIVS ipse, precor.*

IOAN: FERSIVS Phil. & Med. D.  
Wratislavianus.

## ALIVD.

**S**I quid amas, id amas, quia perplacet: at placet illud,  
Quod par naturæ creditur esse tuæ.

Et dum persuades tibi, nil hoc pulchrius esse,  
(Præcipue pulchrum cum sit, ut esse putas.)

Dira cupido faces animo succendit in imo,  
Quarum urens ardor nocte, dieq̃, viget.

Dum viget, & nondum, quod vis, tibi sumere fas est,  
Motibus heu varijs æstuat intus amor.

Nunc metuis, te non adipisci posse, quod ambis:

Nunc adipiscendi spes quotacunq̃, subest.

Moribus & verbis si sese præbet amicam,

Virgo, mox toto corpore gestit amans.

Si voce aut gestu non sese ostendit amicam,

Tristitia, & tacito in pectore Zelus adest.

Quod si rivalem pertractat blandius ipsa,

Tunc simul excruciant invidia, ira, metus.

Sic semper cor edit vaga cura, animumq̃, fatigat,

Turbanturq̃, die munia, nocte quies.

Sunt, quos, dum dubiam mentem sic occupat angor,

In sese cogit surgere ad arma furor.

Plura proculdubio occurrunt incommoda amanti,

Quæ melius poterit promere, quisquis amat.

Si tamen huic tandem liceat, quod amavit, habere,

Protinus illa fugat, lætiamq̃, capit.

Tu quoq; quædam nunc incommoda nôris amoris  
 FERSI, Phoebei gloria magna chori.  
 Illa tamen subito sunt magna in gaudia versa:  
 Namq;, volente Deo, Virgo adamata tua est.  
 Nunc adamare licet securè & fronte serena,  
 Et dulces liciti noscere amoris opes.  
 O vigeat, quanto tu tempore, IANE, vigebis,  
 Hic amor, & fructus proferat ille suos.  
 BARBARA anhelanti ex studijs sit farfara grata:  
 Hanc tu fac matrem, te creet ipsa patrem.  
 Et proles referant simulachra parentis, aviq;:  
 Sic magnis Medicis LESIA dives erit.

CHRISTOPHORVS RÖSSLER D.

## ALIVD.

*C*VM te non posses ipsum curare medendo,  
 Accesti Hermannum, Sponse, precatus opem.  
 Ille tui causam morbi scrutatus ad ungrem,  
 Conveniens aptè repperit antidotum.  
 Censuit hunc animi morbum, non corporis esse,  
 Quem nisi virgineum non cataplasma iuvet.  
 Quag; est insigni pietate vir optimus ille,  
 Huic opera natam destinat ipse suam.  
 Movit eum pietas tua, movit cognita multis  
 Doctrinæ ubertas, movit & integritas.  
 Hermannam laudo, qui te, medicig;, patrisq;  
 Officium faciens, hac ratione beat.  
 Hermannum laudo, quæ iussis suasæ paternis  
 Asservit thalamo te sibi, seq; tibi.  
 Laudo etiam te Sponse, meæ non indige laudis,  
 Hermannæ medicam quòd rogitaris opem.  
 Vtere consilio soceri gener, utere amoris  
 Antidoto, sponsa perfruitorg; tua.



*Vulnus alis venis, est mollis flamma medullas:  
Ceratū hoc certam suppetabit opem.  
Indicio fuerit, benè successisse medelam,  
Post decimum mensem Barbara facta parens.  
Spiritus aeterno Patri Natog, coeue,  
Huic medico & medica sis Panacea simul.  
Fac valeat, vigeat, par quod coniungis amantum,  
Cetera gignentis Sponsaq, Sponsus agant.*

MELCHIOR TILESIVS.

## ALIVD.

**N**unc opus est votis, lätos age Lucifer ortus,  
Profer, & Auroram propero dux evehe curru,  
Lux sacra hac FERSO est, tardo cede Hespere coelo,  
FERSO cui tantum debent mea carmina, quantum  
Pinguia sidereis turgentia gramina guttis.  
Pocla Puer redde, & plenos crateras inunda:  
Nunc fumosa placent, felici uligine pinguis  
Quæ Nicer enutrit, Rhehi aut meliora bicornis,  
Aut Istri quæ mittit ager, vel qualia amatis  
Rhetica dat parvo de collibus uva racemò:  
Non placet hoc quod Guba tulit, dilutaq; tellus  
Brenburgi, & multo domuerunt Naiades amne.

Aonij dux Musa chori, cui carmina cordi,  
Quæ rerum causas Divumq; oracula nosti,  
Huc ades Vranie, precor, & fer munera sacro  
Digna die: Quales Heliconius educat hortus  
Perpetuas Laurus, immortalesq; amaranthos  
Puniceos flores, calthamq; rosasq; rubentes,  
Et dulces violas, dulci ferrugine pictas,  
Narcissum, Casiamq; atq; aureolos Chrysanthos:  
Cætera humo sparge, Solido sed flore coronam,  
Texe novam, Medico quam mittas munera, Ferso,

Media

Media non qualem dives, seu Bactra, vel Indus  
Nudus Erythræi prædatus litora ponti,  
Regibus antiquo imponit de more superbis :  
Sed qualem teneræ rorantia prata puellæ  
Sole recens orto populatæ intexere fuerunt.

Ipse ego, nostra licet iam dudum muta quiescat  
Barbitos, & ruptis sit inutilis undiq; nervis,  
Iam relegam veteri tactus dulcedine mentem,  
Carmina, non cantata diu, stat fragmina ruptæ  
Colligere ipsa lyræ, gratantesq; edere versus,  
Sic FERRO poscente meo, quem magnus Apollo  
Erudijt, medicâq; insignem reddidit arte.

Nam memini, & meminisse dolet, quâ pinguis dives  
LITTORA Marcomanus præterfluit Odera lymphis,  
Autumnus nimio imbre madens, anniq; futuri  
Infelix omen, dum putridus enecat humor  
Ordeaq; & sulcos, cruciantem viscera morbum,  
Non benè curato & recidivo ex ulcere tractum,  
Mî peperit, æstumq; adeò, quo sævior ullus  
Non fuit, & nullis prius est auditus ab annis.  
Tabificò hinc miserum corpus squalore solutus  
Decubui, vis illa animi jam cessit, & omne  
Obsedit languor corpus, sæviq; dolores.  
Interea Oceano Sol se occulit, atraq; fuscis  
Nox terras complexa umbris, lucemq; coloremq;  
Abstulerat rebus, somnos, noctisq; soporem,  
Omnia per terras animalia fessa trahebant,  
Fluminaq; & sylvæ, colles, ager, arua quiêrant :  
Sed mihi nulla quies aderat, sopor omnis in auras  
Fugit, nulla Ceres, Bacchi non ulla iuvabant  
Munera, non Urbs pulcra aut circum vivida prata,  
Non tempe, non ruris opes, non carmina docta,

Doctorumve sales dulces, non ulla voluptas :  
Iamq; insperere paulatim huius tædia vitæ,  
Coelestesq; optare domos & sidera tantum.

His ægrum curis, iugi pressumq; labore,  
Cum non ulla super via iam, spes nulla salutis,  
Vsu herbisq; potens FERSVS, Charitumq; minister  
Dijs charus, tanto præsens solatus in æstu est,  
Et dextra & docta conquirens arte salutem,  
Is fidus, si qua hærebant contagia venis  
Inspirata notat, vim lentorisq; ferocem  
Emollire parat, tantoq; impensius instat  
Consilij, morbi quanto furor acrior urget,  
Et tandem indomitum atq; exundans agmine denso  
Dispergit phlegma, atq; educentûm obijce frangit,  
Sic mihi parta quies, spatium nec temporis ingens  
It medij, affligens tandem cum viscera morbus  
Occidit improvisò, exceditq; artubus omnis,  
Mox vires redeunt & roborata salutis.

Sed mutat Fortuna vices, nec pergit eodem  
Ire gradu, sed coeca viâ variabilis errat.  
Res omnes & fata manu regit illa procaci.  
Nunc hunc felicem atq; ex omni parte beatum,  
Illum sed miserum reddit; sed rursus eundem  
Felicem facit, hunc miserum deludit & angit.

Qui prius æger eram, quem succo atq; arte levasti,  
Sum sanus, quamcunq; dedit fatumq; Deusq;  
Dulcia producens inter solatia vitam,  
Abijcio ex animo curas, totumq; quieti  
Me dedo, aut mentem magno inflammatus amore  
Pieridum, studijs indulgeo amabilis otij,  
Rura aut prata colo, fluvij vel litus amoeni,  
Vel virides cura est silvas, iucundaq; tempe

Lustrare,



Lustrare, & placidas captare in montibus auras,  
Venatuq; feras agere, & prævertere ceruos.  
Frigidus at silvis Aquilo si increverit, aut si  
Dependent udi pluuijs è nubibus imbres,  
Me sociamq; meam, & teneras, mea gaudia, natas  
Parva, at culta domus tenet. hîc lætum esse licebit,  
Læticiaq; diem, & multo producere Baccho,  
Tædia fallentem & curas de corde fugantem.  
Fors Musarum aliqua aspirans, & fautor Apollo  
Plectra dat & citharam notam, DEVS ipse canentem,  
Per rerum causas, sua perq; opera ardua ducit.

Tu contra pateris peracuti incendia morbi.  
Nam Veneris, certum est, te durior ossibus æstus  
Cepit, & in teneris grassatur flamma medullis.  
Heu quoties suspirantem te vidit Eous,  
Et susprantem vidit post Hesperus idem,  
Dum tectum cupis esse malum, nec prodere in auras,  
Sed magis occulto atq; magis torreris ab igne,  
Nec potis es sic susceptam depellere curam,  
Et quæ corde latent multò magis acribus usq;  
Exagitant stimulis, atq; ima incendia sufflant  
Se jamjam tandem clarâ prodentia flammâ.  
Parietibus quondam ut tectus, si corripit ignis  
Vel stipulas vel lignorum segmenta minuta,  
Exiguus serpit primùm, mox clarus ad auras  
Effert se victor, lateq; incendia miscet.

Sed quæ cura malo? quæ nam mediona dolori  
Nunc adhibenda manet? non illum instructa Taberna,  
Non hunc Phillyrides, non hunc levat arte paternâ  
Phoebigena, aut herbis, quamvis hos quærat in usus  
Et petat insignem sævit quem Scholcius hortum,  
Olaviæ atq; Oderæ ad ripas, quâ clara Budorgis

Surgit

Surgit & egregijs transcendit moenia tectis,  
Scholcius ingenio & medica celeberrimus arte.

Sunt hîc, sunt herbæ, nec defit fertilis arbos,  
Quæ fert omnigenos diverso tempore fructus,  
Ridet humus vario hîc florum perfusa colore,  
Et gratos succos, & suaves miscet odores,  
Nec Venus Idaliæ lucos his præferat hortis.  
Sed non hæc poterant ægrum relevare dolorem :  
Altius insedit, major vis institit illi.

Ergo dum medicis nequicquam tollere succis  
Ardentem hunc morbum, curasq; in corde liceret ;  
Ne tamen omnis inops curæ, atq; opis esset inanis  
Æger, & ærumnis ploret sua damna relictus,  
Quò gratam & memorem mentem testemur amico,  
Vota dedi Phoebo ipse, & talibus ora resolui.

Phoebe pater, qui cuncta vides, quem non latet artis  
Quicquid ubiq; bonæ est, unum depellere morbum,  
Quem penes occultum & populantes pectora curas,  
Nosti quis venas FER SI calor obsidet imas  
Et dudum irrepens victos bacchatur in artus,  
Nec datur ulla quies misero, noctesvé diesvé:  
Tu potes, affer opem, & certis compescere vinclis  
Da pestem hanc animi. namq; hunc si Dive levabis,  
Ipse tibi primas violas primosq; hyacinthos,  
Liliaq; alba legam, decus ingens veris & horti,  
Et tua odoratis onerabo altaria fertis.

Sic ego. Sed contra Phoebus sic incipit ipse :  
Pernicies quæ Ferfi animum pertentat, & artus  
Occupat, haud simplex est morbus : perditus ille,  
Ille puer, toto huic vinxit qui pectore sensus,  
Insidet assiduè cordi, nec gramina curat  
Nec medicinam ullam, aut omnes cum pixide merces,  
Sævus amor magnos in quem si suscitât ignes.

Est

Est tamen huic medicina malo auxiliumq; clienti  
Ipse feram nostro. nunc omnem corde timorem,  
Deponat, nostræ & discat confidere curæ,  
Lætum animum sumat, præeo quâ, meq; sequatur.

Est locus, Olavias Pater Odera ubi excipit undas,  
Villicus hîc senior dudum ripam accolit, artes  
Cui nostras indulsi, & munera nobilis otî,  
Quemq; domos divûm docui, perq; omnia duxi  
Sidera, cui secreta dedi percurrere sacra.  
Hic ut enim à primis annis florentia tempe  
Felicis Sophiæ, longumq; imumq; pererrans  
Dædaleæ latebras naturæ excussit opertas,  
Ex viridi, quam plantavit dudum, arbore opacum,  
Frondentem & pulcrum Ramum produxit in auras,  
Ramum, quem non flammatis fervoribus æstas,  
Impetus aut Euri, madidis aut Africus alis,  
Nec gelidi Boreæ penetrabile frigus adurit,  
Sed ver assiduum foveat hunc, grata aura Favonî  
Semper alit, semper coelesti nectare pascit,  
Semper odore, viret semper cono aureus ultro  
Purpureo, & florum nunquam viduatur honore :  
Hinc tremulo & longa confecto ætate colono  
Curarum studijq; gravis senijq; levamen,  
Frondentes legisse comas, tenerasq; novellas.  
Huc quoq; F E R S E pedem fer, opem quære arbore ab ista,  
Bina tibi percepe uno de termite mala,  
Sed non qualia Medorum olim è finibus Atlas  
Transtulit, & sævo servabat tuta Dracone,  
Qualia sed Cytherea suo plantavit in horto  
Horida, turgidula & pleno pubentia succo,  
Virgineas demum splendore imitantia malas.  
Hæc si maturum nondum traxêre saporem,



Tu teneras inter plumas, & tegmine molli  
Condita Ferse fove, ducentq; calore calorem:  
Hinc fient emplastra tuo tutissima cordi.

Si minus ista iuvant, nec pellent pectore morbum,  
Ossibus ad vivum vel quod perfederit imis,  
Seu furor incre scat, maiorq; insania morbi  
Non bene sedata aut iterata ex tabe resurgat,  
Ne desponde animum, sed te committere tutis  
Festines, diramq; brevi consumere pestem.  
Hinc alia inventa expediam, quæ dulcia quanto  
Sunt magis, hoc citius poterunt finire laborem:  
Non procul hinc, quâ poma rubent sub rupe quieta,  
Valle in decliva subterq; patentibus arvis,  
Antra iacent, qua flos vix nascens sioruit, & se  
Abdit densantem frondentis matris in umbram,  
Nec prodire palam dias in luminis auras  
Audet adhuc, si fors non suave rubentia mala  
Te relevent, florem hunc quære, hîc electra sub antris  
Invenies puris, nullum interitura per ævum,  
Munere quæ Venus haud raro & virtutibus auxit,  
Sed munita locis tutis, atq; invia sepsit  
Omnibus accessu, nisi quem cum Matre Cupido  
Castus amat puris exurens pectora flammis.  
Hæc Recipe, hîc tere consveta exeat arte medela,  
Ipse, inquam, Recipe: hîc quoniam nisi pura levare  
Nulla potest manus, expertus non artis amicus  
Audet in hanc curam peregrinum inferre laborem,  
Mysticaq; inconcessa ausu temerare profano.  
Et sic deferves cet Amor, tum deniq; quæ te  
Paulatim absumfere, incendia sæva quiescent,  
Dum quater aut toties in vivo fonte metalli  
Perfusus, fundo vitium omne reliqueris imo.

Hæc

Hæc Phoebus : nos illa tibi: tu quicquid idipsum est  
Consule FERSE boni, nec nostram despice Musam,  
Sic te Divus amet, doctis desq; artibus omne  
Exercere ævum, atq; humanæ præesse saluti,  
Sic senis ipsa tui miretur Teutona tellus  
Hermanni, Italiæ mirentur docta Lycea  
Et Galli medicinam omnes, & mentis acumen,  
Deq; salute sua & sacris de rebus agentis,  
Quodq; adeo paucis usu evenisse videmus  
Iudicium prudens senij, viridemq; nitorem,  
Devotæq; Deo vitæ jubar, & sine foedo  
Crimine conspicuos, famæ sine vulnere, mores.  
Sic tandem te sponsa suum non BARBARA sponsum,  
Sed Germanna pio foveat constanter amore :  
Et faciet, nisi me facilis deludit imago.  
Sed non deludet, cui nulla obnoxia culpæ  
Pectora, plena Deo, fatis immobilis, æqua  
Mens divis, coelo intenta & sublimibus ausis.  
Hæc curis proprijs, curas relevare molestas,  
Sponse, tuas poterit, duosq; juvare labores,  
Tristia læta tibi reddet, quæq; aspera, miti  
Leniet ingenio, gratis dabit oscula labris,  
Atq; animam insinuatam animæ, inde sed oscula resumet,  
Illa viri notas interferet artibus artes,  
Cunas docta toro sterili, & prolem addere proli.  
Det Pater hoc firmetq; D E U S, qui robora tædæ  
Sufficit, instillans flammam, castumq; calorem,  
Quò iuncto ex thalamo, coeli viridaria sanctis,  
Quoq; horti ætherei succrescant consita plantis,  
Quarum perpetuæ fraganti laudis odore  
Tandem perfusus, miscebit in omnia præsens  
Secula læticiam perfectam & sine carentem.

PETRVS CAPELLA ab Elbinga,  
Arnovæ in Bohemia Præfectus.

Ως αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεός, ὡς τὸν ὁμοῖον:  
 Μαιονίδης ἱεροῖς ἔϊπερ ἔπεσσιρ ἄνῃρ.  
 Πρᾶγμα σαφές: θαλάμῳ δ' ἐνὶ τῷδε σαφέσερον: ὄνγε  
 Ἀρχίγαμος ὃ θεὸς θέκερ ἐν ἀρτιγάμοις.  
 Γαμβρῶ ὁμοῖον ἔφιν νύμφη: νύμφη δ' ἐὶ γαμβρὺς:  
 ἔνχεται ὅτῃ γένῃ ἀμφοτέρῃ τ' ἀγαθόν.  
 Ἀνθὺς ὁμοῖα: ὃ μὲν θεὸν ἐν πρῶτῳ δέσσει: σεδάζει:  
 ἢ δὲ ἀκίβδηλως ἐν φρεσὶν αἰὲρ ἔχει.  
 Ἦμερον αὐτὸς ἔχει γλυκύν, ὃν θεὸς ἔμβαλε, θυμῷ:  
 ἢ δὲ φυλαττέμεναι δεσμὸν ἔρωτ' ἔρα.  
 Αὐτὸς ἀχνομένοις καλὰ φάρμακα πολλὰ πορίζει:  
 ἢ δὲ νόσοις σφετέραις ἔσσειτ' ἀλλεξίκακον.  
 Τὸν καὶ ὁμοφροσύνῃρ νόον εἰς βιοθρέμμοζ' ἐρεῖσιν:  
 νυμφίον ἐν θαλεροῖς, νύμφη ἐνὶ σφαλεροῖς.  
 Πάντα ὁμοῖα: ὁμοῖον ἄγει θεός, ὡς γὰρ ὁμοῖον,  
 καὶ γένεϊ, τε φέβῳ, δεσμῷ, ἔρωτι, νόῳ.  
 Πλείον' ὁμοῖα λέγειν, θέμις οὐ: κλέῃ δ' ὅτῃ ἀρίστων:  
 οὐρ τὰ ὁμοῖα ἔμηνον ἀνομοῖς, θέλω.

CASPARVS NEANDER FRANCOSTEIN:

ALIVD.

εἰς τὴν τῇ μορφῇ ἐνσέβην κεκοσμημένην  
 ἐνσεβείας μορφῇ μετὰ συμμιχθεῖσα ποθεῖν,  
 ληξίῳ ἐν χρυσῷ ἔικελος ἡδὲ ῥόδῳ.  
 τοῖσδε χαμαικίονος τ' ἄνθη καὶ φύλλ' ἀμαράνθου,  
 μῦλα τε πορφυρέω μνηδὶ καὶ ζεῦγε κρόκου.  
 τοῖσιν ἐμοῖγε δακρὺ ζεῦγ' ὅδε ἀρτιγαμῶντων,  
 σῶμα γὰρ ἐν μορφοῖς, θεοσεβείας δ' ἐκείνης.

Id est.

Forma pios qualis comitans in corpore mores?  
 Lance deaurata lilia mixta rosis:  
 Adde Chamæcis flores suavisq; Amaranthi,  
 Iunctaq; purpureo Medica mala croco.  
 Coniugium tale est sponsi sponsaq; recentum,  
 Forma pijs quorum moribus aucta nitet.

CASPAR IANITIVS BVDISSINAE.



# MELOS HYMENEIVM.

**L** Audes Coniugij, munia Coniugum  
 Prosequitor metris qui gravioribus  
     Certas, utile nuptis  
     Novas officium novis.  
 Noster numquid enim singula nesciat  
 Sponsus, amor Phæbi, flos iuvenum, sacram  
     Qui potant Aganippen,  
     Aequant Pæona, **F E R S S I V S?**  
 Numquid Sponsa, procis fama Bodurgijs  
**B A R B A R A**, nympharum fidus, honos patris  
     Excellentis, & ipsum  
     Matris delictum pia?  
 Illis quin equidem sanguine patrio  
 Ingenua est virtus, autor euntibus  
     Inculcata bonorum  
     Ad vestigia. Nunc ego  
 Forsan: namq; magis rebus in arduis  
 Vota valent: dignè fecero, si lyra  
     Molli, conubiales  
     Optem lautitiâ ut fluant:  
 Tetrarum fugitans Gratia litium:  
 Corda serenantes ægra loci graves,  
     Mites adis alumni:  
     Pressos Spes melior fovens:  
 Sortis multijuga fertilior seges:  
 Dulce genus, dignum stirpe creantium:  
     Longa fata senectæ:  
     Canos afficiens quies:  
 Effatis placidè Parca colum secans:  
 Dividuos iungens cœlitibus Fides:  
     Hæc, & plura novellis  
     Sanctè coniugibus precor,

*Ad festiva tori gaudia, sobrio  
Carminē complexus præcipua: & sat est.  
Id IOVA iuvabit,  
Qui Sponsis bona dat bonis.*

SAMUEL LATOCCHIUS  
Secundus. P. C.

*Aliud.*

Pulsa conjuge Tullius Terentia,  
Haud secunda cupit subire vota,  
Oblatamq; sibi Hirtij sororem,  
Maturam thalamo, probam puellam,  
Verbis, corporeq; applicabilem sat,  
Contempsit, brevibus loquens apertè:  
Libris, non volo liberis vacare,  
Longas conjugium moras requirit.

Cur ergò meus appetit jugales  
Tædas FERSCHIUS, ille FERSCHIUS, quid  
Inquam, conjugio petit puellam,  
Scrutator latitantium viarum  
Naturæ? quid agè appetis puellam?  
Non eget medico, valet puella.

Scio, jam scio cur velit puellam,  
Ut libris modò, liberis creandis  
Det tempus modò: non agit superbè,  
Sed doctè sapit, & laboriosè.

Scio, jam scio cur velit puellam,  
Vult tractare vias latens latentes,  
Vult spectare domesticis ocellis  
Coelestem microcosmon, atq; praxin,  
Exercere suam domi latenter.

Scio, jam scio cur velit puellam,  
Ut, quod non Academia, scholæq;

Structa

Structæ Teutonico penu sonabant,  
Hoc cognoscat & audiat maritus  
Vivens sub thalami piæ capistro,  
Quod verè est Accademia Angelorum.

Iccircò Ciceronis absolutus  
Vana lege, superfluoq; ritu  
Tuam perge fovere B A R B A R A M, quæ  
Non est barbara, culta, cultiorq; est  
Cultu ipso : pia, casta, pulcra, sive  
Formam, sive velis videre mores.  
Et sata est Podalirio parente,  
Sancto (livor abi) pio parente,  
Magno, & Pæonia potente in arte,  
Humano, venerabili parente,  
Magni quem æstimo, quem colo, libenter  
Observo, quia diligit me amatq;.

Tanto B A R B A R A virgo patre nata  
F E R C H I Sponsa tua est, tuumq; pectus.  
Quin gaudes tibi contigisse talem  
Sponsam? quin hilares cies Camoenas?  
Quas aut Terpsichore fide sonora  
Affert, aut Erato quibus superbit.  
Gaude, & accipe B A R B A R A M puellam,  
Quæ te plus oculis amat tenellis,  
Quam tu plus oculis amas tenellis.  
Exulta, accipe corculum puellam,  
Et scrutare vias latens latentes,  
Des doses nimium cave efficaces:  
Valet, sed medico est opus puellæ,  
Cur? st, nescio, F E R S C H I U S videbit.

MATTHIAS BORBONIUS.

ALIVD.



# ALIVD: CVIVS VLTIMVM

DISTICHON DIEM ET ANNUM

celebratarum nuptiarum  
continet.

**M**agna ferant alij rutilantis dona metalli,  
Dona locupletis quæ vehit unda Tagi:

Magna ferant alij, ingenio quicunq; sagaci  
Excellunt, facili carmina scripta pede:

Latias FERSII quibus exornare iugales,

Atq; novum valeant condecorare torum.

Me quoniam vexat duris in rebus egestas,

Divitiasq; mihi sors malè fida negat:

Me quoniam spatij natura coërcuit artetis,

Ingenioq; dedit vilia dona meo:

Pauca fero sponſis, fero munera parva novellis,

Possidet ingenium quantulacunq; meum.

Vota fero: profunt etiam pia vota iugali

Connubio: votis flectitur ipse DEVS.

Vota trucem pellunt Satanam, pelluntq; pericla:

Votis sit levior cura laborq; tori.

Sedantur votis immitia fata: pioq;

Pectore fusa, DEI dant bonitate frui.

Ergo votorum cum sint bona tanta piorum,

Hoc quoq; sit firmum, sit, DEVS, oro, ratum:

Corpora IVngVntVr sanCtI qVæ LVCe zaChel

DVC DeVs, atqVe bona prosperitate bea.

Petrus Schröterus Strel.

